

## Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

### Imprint:

Director: Mag. Renate Plöchl

Deputy director: Mag. Julian Sagmeister

Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek

Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

### Contact:

Email: [landesbibliothek\(at\)ooe.gv.at](mailto:landesbibliothek(at)ooe.gv.at)

Telephone: +43(732) 7720-53100

tanto fragore et tremore totam provinciam toties et tam graviter concusserunt. Sed pergamus iam ad alia.

Ut enim hic annus in pluribus aliis admodum memorabilis fuit, ita non minus in copia et praestantia vini. Vina enim hoc anno in tanta copia, quae maiori etiam ex parte adhuc mense Sept. matura facta sunt, ut vinis, quae deinde a. 1599 creverunt, omnino nihil aut certe parum cesserint. Pretium eius non adeo carum sed tolerabile fuit.

Weinsegen.

(Erzherzog Ernst.)

*Caesar Rudolphus ad rebellles Waidhofenses compellendos feci ale imperii, Petrum Fleischmannum, praemisit, qui debitissimis adhibitis caeremoniis et tubicinibus haec proclamavit publice in foro: Nisi intra VI septimanas resipiscant et omnia in integrum restituant, eos fore proscriptos et banno subiectos, quemadmodum iam ante illis igne et aqua interdictum erat. Omnes enim merces, quas alio ad dividendum mittebant, in telonis arrestabantur. Atque hac ratione facile ad meliorem sensum commoti sunt. Nam omnia iuxta Imperatoris mentem fecerunt, ut alibi dictum est. Maxime vero clerum cum omnibus reliquis ecclesiae officialibus quam honorificentissime per currus reduxerunt et in suis officiis restituerunt. Quod mense Novembri peractum est.*

Waidhofen.

Labente hoc anno in festo s. Catharinae quidam professus Glunicensis, nomine Wolfgangus Schlegl, sub Rmo. abbate D. Michaele Rabb in eodem monasterio suas cantavit primitias. Ad has iam noviter installatus abbas Paumgartensis Michael advocatus fuit, qui paucis abhinc diebus ex prioratu Garstensi ad hoc monasterium advocatus, postulatus et installatus fuerat. Sed bonus vir immemor suae vocationis parum ad ea, quae sive ad disciplinam monasticam sive ad emolumentum ecclesiae et monasterii essent, attendit. Maxima enim intra paucos annos debita contraxit. In fratres autem tam austerus fuit (absque tamen invidia haec dicta sint), ut tandem omnes de fuga cogitaverint, quos deprehensos tetris carceribus conclusit. Tandem iam deponendus erat iamque Caesarei et Passavienses commissarii aderant; hos tamen ita delusit, ut dum mane ad rem et negotium accessuri erant, ille media nocte cum quatuor equis in curru secum magna parte thesauri monasterii assumpta nemine id animadvertente aut ne suspicante quidem auffugit. Brevi in superiori Palatinatu miserime periisse dictus est. De quo haec hoc loco obiter dicta sint.

Primiz  
in Gleink.Abt Michael  
von Baumgartenberg.

*Styrenses et Weyrenses his temporibus adhuc in magna quiete et tranquillitate fuere, maxime quoad religionem. Propter Waidhofenses enim in sinu gaudebant neque tamen eorum praesumptionem collaudabant. Sede enim Garstensi vacante, cuius monasterii Rmus. abbas quicunque parochus Styrae est et cui Weyrenses quoque subditi sunt, nemo erat, qui vel illis vel hisce ullam molestiam exhibebat. In*

Steyr,  
Weyer und  
Gafenz.